



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

2 Maji. 6 Nonas Maji.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

*riis donis, & laudibus es honorata. Tibi do, in strenam æternam, omnes dies meos: tua gloria dono hunc mensuram, & omnes articulos vitæ, ac mortis meæ!*

2 Maji. 6 Nonas Maji.

**S**ANCTE Antonine Florentine, quia staturâ pusillus eras, ex Antonio Antoninus es dictus; ob prudentiam verò singularem, *Antoninus consilium*: qui à carniû esu, & à fœminarum colloquiis alienus, cilicio & zonâ ferreâ cinctus, Episcopatum invitus admisisti: qui cum tres (qui soli tibi supererant) panes pauperibus dari iussisses, pransurus plena, in penu, candidis panibus omnia divinitus reperisti: qui super domum trium pauperum virginum laborantium tres Angelos, postea (cum eæ, à te adjunctæ, otio vanitatique vacarent) dæmonem incubantem vidisti: qui in balance ostendisti verba hæc, *Retribuatur tibi Deus!* majoris ponderis esse, quàm poma, quæ dono acceperas: qui pronuntiata excommunicationis sententiâ, panem candidum in atrum vertisti; sed ille ad pristinum candorem reversus est.

est, verbis, quibus excommunicatio tollitur, a te prolatis; ideoque negabas, hoc fulmen levi de causâ in ullum esse vibrandum: qui ad Crucifixi imaginem divinâ vi elevatus, a suavissimis JESU Vulneribus, inter oscula, pependisti: qui sanus, ajebas, *Deo servire, regnare esse*; & MARIÆ laudibus immortuus es. cujus anima è corpore tuo migrans, visa est, à quodam absente, pulchrâ gloriæ tuæ luce vestita cælum conscendere, atque aperto tibi cælo, coram Christo & Angelis, vicinam S. Thomæ Aquinati sedem tibi parari: qui pauperi per quietem visus, cum dotem pro suâ filiâ peteret, capite annuisti; & ejus filiam brevî nobilis vir, sinè dote, ultrò sibi despondit, ac duxit uxorem. O Sancte mi! impetra mihi morienti duo hæc tua præsidia; Crucifixi Vulnera, & MARIAM; ut vivam, & moriar *in osculo Domini*, sicut Moyses; ut meum vivere, & mori, sit Deo servire, id est, regnare æternum. Amen.

S. Athanasi Episc. timoribus, calumniis, exiliis, diù multumque exercite, semper victor doctrinâ, & sanctitate.

SS. Saturnine, Neopole, Germane,

mane, & Cælestine, multa passi, & in carcere extincti, Martyres.

Sancta domus, Exuperi, & Zoë conjuges, Cyriace, & Theodule filii, omnes MM.

S. Felix Diacone Martyr.

S. Secunde Episc.

S. Vindemialis Episc. doctrinâ, & miraculis contra hæreticos clare, ideóque capite obtruncate.

OMNES SANCTI, &c. pag. 320.

S. MARIA, quæ S. Antonino morienti præsens, ab illo illis verbis est salutata: Sancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio. Doce me, quibus laudibus laudem te, quo corde amem te, ut in morte juves me!

S. MARIA, à miraculis dicta Panormi, ob miraculorum frequentiam. O Mater admirabilis, sim ego unum è miraculis misericordia tua! fac me è tepido flagrantem amore Dei, ac tui, idque perseveranter usque in finem!

3 Maji. 5 Nonas Maji.

**C**RUCIFIXE JESU, da, ut inventa hodie, dejecto infami Veneris stabulo, salutis meæ tessera, tua  
Cruce,